


huiusmodi cognitione decre-
tum fuit. Licet enim execu-
tio testamentorū mixti fori
sit ex l. hereditas, ff. de petit. ha-
redit. l. nulli. C. de Episcop. & cle-
ric. l. 36. Tauri, Carleval. disp.
2. num. 333. optime Diana 4.
part. trad. at. i. resolutio. 99. no-
tavi ego in Propugnaculo Hie-
rosolymitano discept. 13. cap. 12. 70
num. 44. tamen quo ad pias
causas merè spirituales iu-
dex Laicus non se immiscet,
ex cop. decernimus de iudicis.
Cevallos de cognit. per viam
violent. 2. part. quæst. 84. nu. 12.
Marta de iur. sūditione. 2. part.
cap. 10. num. 14. Carpio de exc-
cutoribus testamentorum lib. 1.
cap. 21. num. 4. Diana part. 8.
tract. 5. resol. 55. in fine. quam-

vis contrarium velit D. Frā-
ciscus Hieronymus Leo de-
cis. Valent. 20. num. 42. tom. 1. in
hac autem executione pia-
rum voluntatum quis iudex
præferendus sit, an originis,
domicilij, vel rei sitæ vidi
etiam dubitatum, & licet de
iure communi iudex origi-
nis, vel domicilij præferatur
iudici ubi res sitæ sunt, l. nulli
C. de Episcop. & Cleric. Specu-
lator in tit. de instrument. edit.
§. nunc verò aliqua 13. num. 87.
Marta dict. cap. 10. num. 9. &
de success. legal. part. 4. quæst. 15.
art. 1. num. 3. & 8. tamen de iu-
re Regio locus est præven-
tioni ex lege §. tit. 10. partita 6.
ubi Gregorius Lopez glos. 3.
Carpio d. cap. 21. num. 6.



CAP.



CAPUT VII.

DE TESTAMENTO INTER LIBEROS
imperfecto ratione voluntatis, an favore liberorum sustineri
valeat ad legem final. C. familia erciscunda, & uti in iure
Regio ex decisione legis 3. Tauri requiratur in illo eadem so-
lemnitas, quæ requiritur in testamento inter extraneos; & an
schedula in arca reperta manu testatoris scripta inter
liberos sustineri debeat. & ex quibus
cognoscatur perfecta, vel
imperfecta.

SUMMARIUM.

C Vrtius Iunior testamē-
tum inter liberos im-
perfectum ratione vo-
luntatis sustineri posse tenuit,
cuius authoris verba referun-
tur. 1.
Testamentum inter liberos im-
perfectum ratione voluntatis
invalidum esse ex communi
Doctorum assensu, cōtra Car-
tium reso. vitur. 2.
L. final. C. familia erciscunda in-
terpretatur. 3.
Testamentum inter liberos non
solemne sustinetur de iure
communi. 4.

Solemnitas requisita in testamē-
to inter extraneos, an iure re-
gio requiratur in testamento
inter liberos, quæstio est con-
troversa. 5.
Lex correctoria iuris communis
tantum corrigit quantum illa
expressum est. 9.
Legem correctoriam ex eadem,
aut maiori ratione extendere
non licet. 10.
Privilegio derogato quantum ad
vnum, quantum ad alia com-
probatum censetur. 11.
Solemnitate testamenti vna dis-
pensata, in cæteris remanet

H vir-

virtus iuris communis. 121.
 Lex nova minuens numerum testium in testamento non derogat qualitati eorum. 13.
 L. 3. Tauri disponit quo ad numerum testium, non quo ad qualitatem. 14.
 Adequationem factam à lege 3. Tauri de testamento inter extraneos, & inter liberos intelligendam esse in numero testium, non in qualitate ex veteriori opinione resolvitur. 15.
 & 16.
 Derogato vno altera non videtur mutata, nec generalibus verbis, nisi quatenus expressum est. 17.
 Fœmina possunt esse testes in testamento inter liberos. 19.
 Testamentum inter liberos validum est, quamvis non fuerit lectum. 20.
 Codicillus factus à patre inter liberos non eget hodie maiore solemnitate quam iure communi. 21.
 Fœmine possunt esse testes in codicillo. 22.
 Scheda manu patris scripta, an debeat habere testes ut valeat inter liberos. 23.
 Scheda manu patris scripta debet continere diem qua facta est. 24.
 Scheda reperta in arca debet esse manu patris scripta ut

sustineatur inter liberos, adeo quod non valeat sit liberorum tantum subscriptionem contineat. 25.
 Scheda à filiis subscripta sustinetur ut contractus inter ipsos. 26.
 Scheda manu testatoris scriptam esse constare debet, & quomodo dicatur constare. 27.
 Scheda manu patris scripta perfecta debet esse ut sustineatur, & debet constare per illam voluisse testari non se preparasse ad testandum. 28.
 Scheda scripta debet esse verbis de presenti, non de futuro, ut perfecta dicatur. 29.
 Scheda quæ continet multas cancellaciones, & apostillas imperfecta est. 30.
 Scheda scripta in breuiaturis imperfecta videtur, maxime si summa pecunie signis Arithmeticeis exprimat. 31.
 Perfecta non dicitur voluntas ubi falsi suspicio adest. 32.
 Perfecta cognoscetur scheda ex tenore ipsius. 33.

Testamentum inter liberos imperfectum ratione voluntatis sustineri posse inquit Curtius Iunior, in §. ex imperfecto, leg. hac consultissima, C. de

de testamentis num. 1. ubi proponit regulam ex dicto §. quod inter liberos valeat testamentum imperfectum, & deinde circa illam movet dubitationes, primam, an non solum procedat, quando est imperfectum ratione solemnitatis probatoria, sed etiam quando est imperfectum ratione voluntatis, & resolvit in hæc verba, ibi: Gloss. Bartolus, & communiter scribes in l. si is qui per illum textum, ff. de testamentis, cum alijs adductis per Alexandrum, & Modernos hic concludunt, quod non, & ita transeunt omnes antiqui, & moderni; mihi videtur, quod in contrarium sit fortissimus textus in l. final. ibi: Sive captum neque impletum testamentum supra familiæ eriscunda, nec valet solutio Glossæ ibi in verbo impletum, dum intelligit textum, quantum ad solemnitatem, sed bene completum quantum ad voluntatem, quia ista solutio videtur confundi per textum in d. l. fin. dum postea subdit: & si solemnitate legum huiusmodi dispositio fuerit superflua retenta expositione Glossæ statim relata: & ideo puto posse teneri disputando hanc novam conclusionem, quod iste §. procedat etiam quando testamen-

tum est imperfectum ratione voluntatis. Sic etiam tenent Pannormitanus, Angelus, & alij, quos refert, & sequitur Tirraquellus de privilegijs pie causæ. privil. 7.

2 Sed contra Curtium, & reliquos communis est omnium ferè scribentium opinio, & ita invalidum esse testamentum inter liberos imperfectum ratione voluntatis, per textum in dicta lege si quis cum testamentum, & illius decisionem tenet ultra Glossam, Bartolum, Baldum, & omnes antiquos in d. l. si quis, & in dict. §. ex imperfecto. Cornæus conf. 118. num. 3. vol. 3. Rubeus conf. 94. num. 3. Ruinus conf. 1. in princip. vol. 2. Guidon Papa conf. 234. num. 7. Petrus Surdus conf. 258. num. 21. lib. 2. Valascus consult. 74. num. fin. Boerius decis. 240. Gaillius observat. 112. n. 14. Mynsingerus cent. 5. observat. 28. n. 4. Thadeus Pifo lib. 1. var. cap. 7. n. 37. Fachin. lib. 4. controuv. cap. 4. Cuiacius in Commentar. ad dict. leg. si quis cum testamentum, Gilchenius in d. l. hac. consultissima, §. ex imperfecto. n. 27. ubi Natta n. 139. Gualdensis de Arte testandi tit. 2. caut. 11. num. 6. Iulius Clarus, §. testamentum q. 9. Michael Grassus

eod. §. quest. 12. numer. 1. & 2. Don Francisc. de Barri de success. testati ac intestati lib. 1. tit. 3. num. 12. Marta de success. legal part. 4. quest. 1. art. 7. num. 7. & quest. 7. art. 1. num. 12. Paschalis de viribus patriæ potestatis, part. 2. cap. 8. num. 56. Mascardus de probationibus tom. 3. conclus. 1358. num. 79. Castillo lib. 4. cap. 21. num. 23. Barbosa in l. fin. C. familiae erciscunda num. 22. Molina de iustitia, & iure, tract. 2. disput. 128. num. 6. Morquecho de divisione bonorum lib. 4. cap. 8. num. 2. Padilla in l. ex testamento num. 8. C. defideicommissis Rodericus Suarez in l. quoniam in prioribus sup. declarat leg. Regni quest. 4. à numer. 1. C. de inof. testam. Menchaca de success. creat. lib. 3. §. 22. num. 6. Covarrubias in cap. relatum num. 10. de testamentis Antonius Gomez in l. 3. Tauri num. 106. vbi etiam Burgos de Paz, ex num. 227. & Tellus Fernandez, 3. part. num. 18. Nicol. Genua de scriptura privata lib. 6. cap. 1. ex num. 123. Gothofredus in l. hac cōsultissima, §. ex imperfecto lit. M. C. de testam. Fusarius cons. 41. nu. 7. Capicius Latio, decij. 140. nu. 6. & 9. lib. 2.

3 Contra quā vnanimem

Doctorum resolutionem deductam ex d. l. si quis cū testamē tum, minimè obstat d. l. fin. C. Familia erciscunda, ponderata in contrarium à Curtio, nam vera est interpretatio Glossæ, & ad verba illa. *Et si solemnitate legū huiusmodi dispositio fuerit destituta*; in quibus se fundat Curtius, & reliqui, optimè respondet Burgos de Paz in d. l. 3. num. 228. minimè videri superflua, sed esse declaratoria præcedentium, illis etenim explicatur verbis superioribus prædictam legem fuisse locutam de testamento imperfecto quò ad solemnitatem tantum; vel etiam potest dici ex sententia eiusdem Authoris, quod prædicta verba non sunt superflua, quia decisioni, & conclusioni dictæ legis finalis ad scripta sunt, at verò verba illa: *Sive ceptum, nec impletum* in narratione casus collocantur, & ita eorum superfluitas cessat, quia aliàs ferè omnium iurium aliqua verba superfluerent, & superfluitas non causatur ob verbi expressionem ad declarationem Marta de success. legal. part. 4. quest. 28. numer. 10. vltra quod abundantia

ver-

verba tolerantur, quando ad maiorem declarationem apponuntur, & tollendæ dubitationis gratia. Salgado de revent. Bullar. 2. part. cap. 21. nu. 20. Ex quibus à Curtij Iunioris sententia oportet discedere, vt, & ipse Curtius admonet in verbis, ibi: *Durum tamen videretur in iudicando velle discedere à communi.*

4 His circa testamentum inter liberos quantum ad imperfectionem voluntatis attinet breviter notatis, non est quidem materia dubia, cum Glossæ, Bartoli, & antiquorum opinio ab omnibus ferè secuta sit, succedit nunc de imperfectione solemnitatis in prædicto testamento aliqua scribere, quæ instituti nostri sint, habet enim testamentum inter liberos privilegium, vt sustineatur imperfectum, seu non solemnne, ex dict. §. ex imperfecto, l. hac cōsultissima, & dict. l. fin. Et de plurimis dubijs circa hoc privilegium agunt latè Alexander, Curtius Iunior, Natta, Sichardus, Donellus, & Gilchenius in d. §. ex imperfecto, Mantica de coniectur. ultim. voluntat. lib. 6. tit. 2. Menochius de præsumptionib. lib. 4. præsumpt. 7. 9. & 19. Iulius

Clarus, §. testamentum, quest. 8. cum seqq. Michael Grassus eod. §. q. 11. Gaillius lib. 2. observat. pract. observat. 112. Petrus Gregorius lib. 42. Syntagmatum cap. 5. Fachineus lib. 4. cōtrover. c. 1. & 2. Ossualdus ad Donellum lib. 6. cap. 9. lit. D. Cancerius lib. 1. variarum cap. 4. ex n. 4. Paschalis de viribus patriæ potestatis, part. 2. cap. 8. Thesaurus lib. 4. cōtroversiar. quest. 34. Merlino de legitim. lib. 5. tit. 2. q. 3. Marta de success. legal. part. 4. quest. 7. artic. 1. cum sequentibus, Escobar, & Corro de viroque foro, articul. 2. numer. 22. Argel. de acquirend. possess. quest. 6. artic. 9. Barbosa in dict. l. fin. C. Familia erciscundæ, & relati supra cap. 5. num. fin.

5 Est tamen hac in re controversi omnino disputanda, & quæ in Tribunalibus quotidie disputari solet, an iure regio ex dispositione legis 3. Tauri, quest. 2. tit. 4. lib. 5. Recopil. eadem solemnitas requiratur in testamento inter liberos, quæ requiritur inter extraneos, nam si eadem requiritur, cessabit in totum privilegium huiusmodi testamento iure communi concessum, & per consequens,

H 3

non